

bat. n. significare in omnib. corporibus nihil esse pulchrius, quam illa caelestia lumina & homines natura ad hanc pulchritudinem fruendam praecipue rapi, ac mihi quidem oculi ipsi cognationem uel maximam cum siderib. habere uidentur. Vt. n. in mundo luat sol, ita in homine, quem non nulli propter plurimas similitudines μικρον κοσμου uocauerunt, sua quaedam lumina, uelut sydera condita sunt. Itaque qui cognata illa lumina fastidiunt, non considerant naturae opificium eamque ob causam digni erant quibus eruerentur oculi, cum his ad hanc rem uti uti nolint, ad quam praecipue conditi sunt, praesertim cum illa cognitio admoncat etiam nos de deo & de immortalitate nostra. Neque enim fieri potest, quin statuatur humanus animus mentem aliquam esse, quae regat & gubernet omnia, si animaduertit illos ratos cursus & leges magnorum orbium & stellarum. Nihil enim tale casu, aut alia ui ulla sine mente existere aut constare potest. Quare si Astronomia confirmat hanc de deo opinionem in animis hominum, Plato non solum erudite, sed etiam religiose dixisse iudicandus est, astronomiae causa nobis oculos datos esse. Sunt enim certe ob hanc causam praecipue dati, ut ad quaerendam aliquam dei noticiam dux essent. Proinde ex philosophis soli isti qui astronomiam aspernati sunt ex professo fuerunt αθεοι, & sublata prouidentia, etiam im-

E iij mortalitatem